

iamdudum ab Aristotele explosas, tum recentiorum, qui veteres quoad ipsa fere verba imitati, corporum principia revocant ad solas causas materiales, quas vel naturae extensae vel inextensae ponunt. Refutatis subinde falsis opinionibus, doctrinam peripatetico-scholasticam, quae decernit, corpora esse essentialiter concreta ex duplici principio, nempe materiali, et formali, propugnauimus utpote unice aptam ad scientificam explicationem exhibendam de substantia corporali, quae unitatem substantialem simul cum multiplicitate partium in se complectitur.

2.<sup>o</sup> Explorata natura substantiae corporalis, de propriis passionibus eiusdem egimus, et praesertim de quantitate, quae est primum accidens corporum et fundamentum ceterorum; et sic post absconditam litigiosamque quaestionem, quae versatur circa quantitatem, de aliis accidentibus aliqua attigimus.

3.<sup>o</sup> Cum corpora alia sint viventia seu animata, alia expertia vitae, postquam exposuerimus principia naturae, quae inveniuntur in corporibus inorganicis, de iisdem egimus, prout vigent in corporibus viventibus, quae intrinsecus constant ex corpore organico et anima. Sic primo disseruimus de anima generatim, per quam omnia viventia discernuntur ab inanimis; deinde de anima vegetativa, quae constituit infimum vitae gradum; demum de anima sensitiva.

4.<sup>o</sup> Sicut in exploranda generatim natura corporali adversarios nacti sumus tum veteres tum recentes, sic eosdem adversarios in natura animatorum explicanda deprehendimus. Veteres quippe causas formales inficiati, generatim decreverunt, omnem animam sive in plantis, sive in brutis, sive in hominibus, non esse nisi aliquod corpus subtilissimum, vel aliquam corporum elementarium missionem, dispositionem, harmoniam. Recentes formarum substantialium osores de anima plantarum fere idem sentiunt ac antiqui; nam plantarum operationes revocant ad vires physicas et mechanicas. De viventibus sensitivis alii docent, bruta agere per vires mechanicas, sicuti cetera corpora; alii admittunt in animantibus principium vitale seu animam, sed eam esse substantiam in sua specie completam docere coguntur. Hinc ad summum tuentur, animam esse formam assistentem, quae corpora movet motu locali, non autem corporibus tribuit esse viventis, quod est munus formae informantis.

#### FINIS COSMOLOGIAE.

## PHILOSOPHIA NATURALIS

### PARS ALTERA

#### DE HOMINE SEU ANTHROPOLOGIA

#### PROOEMIUM

Cum a nobis in priori parte Philosophiae naturalis satis dictum sit de natura, proprietatibus, et operationibus substantiarum corporali-um, sive inanimatarum, sive viventium; antequam ad Metaphysicam tradendam accedamus, quae disserit de substantiis omnino separatis a materia secundum esse et subsistentiam, ordo rerum postulat, ut specialem interponamus tractationem de homine, de quo consulto in superioribus disputationibus conticimus. Homo enim compositus ex spirituali et corporali substantia, nempe ex anima intellectiva et corpore organico, quod est proprium perfectibile illius nobilissimae formae, primatum sibi vindicat inter omnes visibiles creaturas; et perfectiones rerum materialium cum perfectionibus spirituum in se uno complectitur, ideoque iure dictus fuit *μικροκομος*, idest parvus mundus. Quare de ipso separatim nobis disputandum est, ut cognita eius natura et perfectionibus, quae visibilia cum invisibilibus nectunt ac copulant, facilius tutiorque parata erit via ad res prorsus invisibiles animo cernendas. Verum enim cum tota vis et natura hominis in anima et corpore sita sit, et animae utamur imperio, corporis autem servitute, primas partes sibi vindicat animus, utpote tribuens speciem, et perfectionem corpori, imperiumque exercens; secundas autem corpus, utpote ab anima nobilitatum, eiusque subiectum imperio. Prima ergo consideratio nostra circa animam versabitur; de corpore autem non agemus, nisi secundum quod dicit habitudinem ad animam ratio-

nalem; nam propria et determinata forma in proprio et proportionato subiecto recipiatur oportet. Siquidem disserere speciatim et dedita opera de humano corpore vel quoad suarum partium structuram et complexionem, vel quoad suas vitales functiones, id attinet potius ad Anatomiam et ad Physiologiam.

Cum autem intellectus noster, qui inter facultates intellectrices postremum tenet locum, rerum naturas et quidditates non cognoscat perfecte nisi per effectus seu operationes; nos in natura animae humanae investiganda incipiemus ab eius potentiis et operationibus. Sic per ea, quae sunt magis nota nobis, et minus nota secundum naturam utpote habentia esse accidentale, gradatim ascendemus ad ea cognoscenda, quae sunt minus nota quoad nos, sed magis nota secundum naturam utpote habentia esse substantialia. Quare in duas potissimum partes totam scientiam de homine dispertiemus, quarum prima diseret de potentiis seu agendi virtutibus, et propriis operationibus animae rationalis, quatenus est forma substantialis corporis; altera vero tractabit de ipsa essentia animae humanae, et de eius unione cum corpore organico.



## TRACTATUS PRIMUS

### DE POTENTIIS ANIMAE HUMANAЕ, ET DE EIUS PROPRIIS OPERATIONIBUS

#### QUAESTIO I.

*De potentiis animae generatim spectatis.*

**QUAESTIO ADUMBRATUR.** Cum ad perfectam absolutamque rei cuiuslibet nobilitatem pertineat operari et esse aliis causam essendi, cumque quaelibet causa secunda et particularis in operando quandoque sit in actu, quandoque in potentia, sponte sua occurrit generalis quaedam quaestio; nimirum, an in rebus creatis potentia secundum rem et veritatem sit idem ac essentia, vel virtus agendi a rei substantia discriminetur. Quocirca antequam ad singulas animae potentias explicandas accedamus, quaestionem generalem praependam esse arbitramur, quae versatur circa distinctionem, quae viget inter potentias animae eiusque essentiam, et circa causam ontologicam distinctionis et specificationis earumdem potentiarum inter se. Proposita quaestio, quae hoc in loco coarctata ad solam animam humanam, ad omnes creatas substantias porrigitur, universam philosophiam longe lateque pervadit, cum caput stirpemque habeat in ipsis communioribus sciendi principiis, ideoque a nobis diligenter accurateque discutenda est.

#### ARTICULUS I.

AN POTENTIAE ANIMAE DISTINGUANTUR AB EIUS ESSENTIA.

**QUID POTENTIA?** Iuxta S. Thomam potentia describitur: *Principium immediatum et proximum operationis, quo agens utitur ad aliquid efficiendum.* Quare in quolibet agente creato, cui tamquam principio quod attribuitur operatio, discernendum est duplex principium quo operationis, quorum alterum est principium remotum, mediatum, et

primum, et est essentia seu natura, quae ab Aristotele definitur: *Principium primum motus et quietis*; alterum est principium quo proximum, immediatum, et secundarium, et est facultas, virtus, seu potentia agendi, quae superius definita est.

**Divisio potentiarum.** Potentiae dividuntur ab Aristotele in activas et passivas. Potentia activa definitur: *Principium transmutandi aliud in quantum est aliud* (1), et a S. Thoma dicitur: *Principium agendi in aliud* (2). Potentia vero passiva definitur ab Aristotele: *Principium transmutandi seu ut transmutetur ab alio in quantum est aliud*. A S. Thoma vocatur: *Principium patendi ab alio*. Prima revocari potest ad genus causae efficientis, altera ad genus causae materialis seu receptivae. Inter utramque illud maxime differt, quod potentia activa, qua talis, perfectionem denotat, cum ex adverso potentia passiva, qua talis, dicat imperfectionem. Quod sic notatum fuit a S. Thoma: « Unumquodque secundum quod est actu et perfectum est principium activum alterius. Patitur autem unumquodque secundum quod est deficiens et imperfectum » (3).

**Divisio sumitur ab obiecto.** Ex ipsa definitione potentiae tum activae tum passivae patet, potentias dividi in activas et passivas per ordinem ad obiectum, minime vero per ordinem ad operationem; nam si potentia sumitur per ordinem ad operationem, tunc dicendum est, quamlibet potentiam vitalem esse activam simul et passivam; quia propriam sibi vindicat operationem, et in operando movetur ab aliquo extrinseco. Sed si potentia comparatur ad obiectum, tunc est activa, si transmutat obiectum, et est passiva, si transmutatur ab obiecto. Nam facultates activae illae dicuntur, quae efficiunt, ut suum obiectum fiat actu; passivae autem, quae a suo obiecto iam existente in actu ad agendum moventur. Hinc quaelibet potentia sive activa sive passiva habet, ut in aliquem actum prodeat. Ad rem nostram sic S. Thomas: « Non distinguitur potentia passiva ex hoc quod habet operationem; quia cum cuiuslibet potentiae animae tam activae quam passivae sit operatio aliqua, quaelibet potentia animae esset activa. Cognoscitur autem earum distinctio per comparisonem potentiae ad obiectum. Si enim obiectum se habet ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa: si autem se habet ut agens et movens, sic erit potentia passiva: et inde est quod omnes potentiae vegetabilis animae sunt activae; quia alimentum transmutatur per potentiam animae tam in nutriendo, quam in generando: sed potentiae sensitivae omnes sunt passivae; quia per sensibilia obiecta moventur, et fiunt in actu. Circa intel-

(1) *Metaph.* lib. V, cap. XII, text. 17, et lib. IX, cap. II, text. 2.

(2) 1. p. q. 25, a. 1.

(3) *Ibidem*.

lectum vero aliqua potentia est activa, aliqua passiva; eo quod per intellectum intelligibile in potentia fit intelligibile actu, quod est intellectus agentis, et sic intellectus agens est potentia activa. Ipsum autem intelligibile in actu facit intellectum in potentia esse intellectum in actu; et sic intellectus possibilis erit potentia passiva » (1).

**Potentia obedientialis.** Cum potentis passivis a nobis nuper declaratis minime confundenda est potentia illa, quam Theologi *obedientialem* vocant, cuius notio haud est silentio praetereunda, in gratiam eorum praesertim, qui theologicis disciplinis operam erunt navaturi. Deus ergo elevare potest creaturas sive corporales sive spirituales ad operationes, quae earum vires ac facultates naturales praetergrediuntur; nam omnes res creatae ita in essendo et operando dependent a Deo, ut de illis efficere queat quidquid Ipsi libuerit. Verum cum divina Omnipotentia efficere non possit id, quod intrinsicus repugnat, consequens est ut creaturae operari non possint quidpiam, quod earum vires excedat, nisi a Deo accipiant virtutem illud efficiendi. Haec naturalis capacitas dicitur *potentia obedientialis*, quae actuata per virtutem seu formam a Deo immediate procedentem coniungit naturam cum ordine supernaturali, qui propterea merito dicitur naturam perficere, non destruere. Ad hanc potentiam accurate declarandam duo testimonia seligimus S. Thomae, quorum primum ita habet: « Est autem considerandum quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparisonem ad agens naturale; alia vero per comparisonem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiore actum, in quem reductur per agens naturale; et haec consuevit vocari *potentia obedientiae* in creatura » (2). Et alibi sic eandem rem vocat: « Quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eandem rem potest perducere in altiore effectum... et inde est quod aliqua res est in potentia ad diversa secundam habitudinem ad diversos agentes. Unde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam, quae inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia obedientiae, secundum quod quaelibet creatura Creatori obedit » (3).

**Sententiae philosophorum.** Omnes philosophi, qui spiritibus creatis agendi virtutem attribuunt, in hoc consentientes sunt, quod anima agat per quasdam facultates seu potentias sibi insitas; sed vehementer inter se certant in hoc, quod alii contendunt, animae potentias re non differre ab eius essentia; alii contra propugnant, facul-

(1) *QQ. DD. De var. q. 16, a. 1 ad 13.*

(2) 3 p. q. 11, a. 1.

(3) *QQ. DD. De pot. q. 6, a. 1 ad 18; cf. S. AUGUSTINUS, De Genesi ad lit. lib. IX, cap. XVII-XVIII.*

tates animae realiter distingui ab ipsa anima, sicut accidentia propria differunt a subiecto, cui inhaerent, et a quo profluunt. Primam sententiam amplexati sunt Nominales, qui duce Ockamo docuerunt, facultates non esse res ab anima distinctas; sed esse nomina, quibus diversae animae operationes designantur. Ita Gregorius Ariminensis (1). Huic sententiae proxime accedit doctrina Scoti et Scotistarum, quam postea sequuti sunt Hurdadus, Arriaga, et plures alii, qui defendunt, potentias animae esse formalitates substantiales ex natura rei distinctas ab essentia, et animae constitutivas (2). Nominalium doctrina placuit Cartesianis omnibus, inter quos plures numerantur, qui etiam nostris temporibus docent, tum facultates tum ipsas actiones identificari cum essentia animae; et operationes nihil aliud esse, nisi diversos modos essendi animae, ipsamque constituentes.

Ex adverso secundam sententiam propugnant Aristoteles, S. Dionysius Areopagita, S. Augustinus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ioannes Damascenus, S. Anselmus, S. Bonaventura, B. Albertus Magnus, et in primis S. Thomas, quos sequuntur Toletus, Suaresius, Vasquesius, Cosmus Alamannus, Silvester Maurus, et Scholastici fere omnes docentes, facultates animae realiter discriminari ab eius essentia, cum in solo Deo essentia, potentia agendi, et actio sint unum et idem. Hanc SS. Patrum et Ecclesiae Doctorum sententiam, utpote unice veram, defendendam suscipimus sequenti propositione.

## PROPOSITIO.

*In anima humana admittenda est realis distinctio inter essentiam eiusque potentias, quae a principiiis essentialibus per necessariam resultantiam dimanant (3).*

**Prob. prop. Arg. 1.<sup>um</sup>** Et primo quidem ad rem evincendam utimur profundo quodam S. Thomae argumento, quod ipsa sciendi principia attingit, quodque ita breviter proponi potest. Quaelibet potentia habet suum proprium et proportionatum actum, et ideo sicut proprius actus essentiae est ipsum *esse*; ita proprius actus virtutis operativae est operatio. Iam vero in nulla creatura operari est suum *esse*, cum hoc sit Dei proprium. Ergo in nulla creatura, et consequenter in anima humana virtus operandi identificatur cum essentia. En praeclara S. Doctoris verba: « Manifestum est quod diversi actus

(1) In 2 *Sent.* Dist. 16, q. 3.(2) Cf. Scoti in 2 *Sent.* Dist. 16, q. unica.(3) Circa hanc questionem cf. S. THOM. I p. q. 77. a. 1; *QQ. DD. De Anima*, a. 12; *De spirit. creaturis*, a. 11; *Quodlibet*, 10. a. 5; 1 *Sent.* Dist. 3, q. 4. a. 2; cf. etiam TOLETUM, in 1 *De Anima*, cap. IV, q. 9; SILV. MAURUM, *Quaest. philos. De Anima*, q. 30; COSM. ALAMAN. *De Anima*, q. 51.

diversorum sunt: semper enim actus proportionatur ei cuius est actus. Sicut autem ipsum esse est actualitas quaedam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis. Unde cum in nulla creatura suum operari sit suum esse, sed hoc sit proprium solius Dei, sequitur quod nullius creaturae operativa potentia sit eius essentia; sed solius Dei proprium est, ut sua essentia sit sua potentia » (1).

**Arg. 2.<sup>um</sup>** Deducitur ex multitudine potentiarum et ex comparatione earumdem ad invicem, et ita efformari potest. Potentiae animae ita discriminantur inter se, ut quaedam sint actus corporis, uti potentiae vegetativae et sensitivae; quaedam sint ab organis separatae, ut intellectus et voluntas: iterum ita sunt inter se ordinatae, ut quaedam aliis dominantur, illasque arbitrari suo gubernent, aliae ex adverso subiiciantur, primisque obtemperent. Atqui haec omnia impossibilia forent, si potentiae animae revocarentur ad diversa nomina indiciantia unam simplicemque animae essentiam; nam idem non potest simul esse actus organi et ab organo separatum, neque potest exercere imperium erga seipsum, cum dominari et subdi ex opposito dicantur. Ergo potentiae animae sunt proprietates realiter distinctae ab eius essentia.

**Arg. 3.<sup>um</sup>** Anima per suam essentiam est forma et actus corporis. Atqui facultates intellectivae non possunt esse corporis forma, secus anima nullam haberet propriam operationem, ideoque esset forma materialis, et corruptibilis. Ergo intellectus et voluntas realiter distinguuntur ab essentia animae.

**Arg. 4.<sup>um</sup>** Cum anima secundum suam essentiam sit actus, si non differret a suis agendi potentiis, semper actu operaretur quidquid agere posset. Atqui hoc est plane falsum. Ergo anima realiter differt a suis potentiis (2). Neque valet quidquam instantia et cavillatio Scoti dicentis, potentiam operativam posse esse in actu primo et in actu secundo operationis, ideoque argumentum ductum ab actu formali non concludere. Nam si acute res consideretur, praecise potentia operativa potest considerari in actu primo et in actu secundo, quia cum sit realiter distincta ab essentia quae est actus, potest habere statum et ordinem potentiae directae ad ulteriorem actum (3).

**Arg. 5.<sup>um</sup>** Potentia et actus sunt in eodem genere entis. Atqui actiones in anima sunt in genere accidentis. Ergo potentiae animae sunt accidentia realiter distincta ab eiusdem essentia (4). Doctor Subtilis argumentationem mox prolatam, quae quadrantes coincidit cum primo argumento, suis aculeis nititur vexare; quod frustra est, quem-

(1) *QQ. DD. De spirit. creaturis*, a. 11; cf. etiam I p. q. 54. a. 1 et 2.

(2) I p. q. 77, a. 1.

(3) Cf. COM. CAJETANI in loc. cit.

(4) Cf. S. THOM. I p. q. 77, a. 1; *De spirit. creaturis*, a. 11.

admodum ostendit Caietanus in Com. ad hunc locum. Ut autem vis argumenti ab Angelico Magistro traditi rite intelligatur, et ab importunitatibus vindicetur, animadvertimus effatum illud: *Potentia et actus sunt in eodem genere*, intelligendum esse non de qualibet potentia, quae actum a se distinctum recipit; sed de illa potentia solum, quae essentialiter et ex prima intentione naturae ordinata est ad aliquem actum. Fatemur enim, substantias in se recipere formas accidentales, insuper quantitatem in se recipere figuram, et colorem. Sed negamus, huiusmodi subiecta esse essentialiter et ex prima intentione naturae ordinata ad tales actus; ni dicere velimus, substantiam esse propter accidens, et ab ipso specificari; cum propria potentia per proprium actum specificetur. Iam vero virtutes operativae essentialiter et ex prima intentione naturae ordinantur ad operationem, tamquam ad finem adaequatam, et ad actum ipsis speciem tribuentem. Ergo debent unum quid efficere copulatum ex duabus realitatibus, quae reductive pertinent ad idem genus. Quare merito Caietanus Scoto occurrit animadvertens, Doctorem Subtilem confundere potentiam per accidens a natura ordinatam ad aliquem actum seu formam cum potentia per se et essentialiter ordinata ad suum proprium actum, a quo speciem mutuatur, et ad aliquem essendi gradum definitur.

Quod autem potentiae animae ab essentia per quamdam resultantiam dimanant, nemini dubium esse potest, posita reali distinctione inter animam et agendi virtutes. Siquidem potentiae operativae sunt quaedam naturales proprietates animae, quarum aliquae in ipsa resident tamquam in subiecto, aliquae ita resident in composito, ut compositum ab anima habeat ut sit subiectum talium proprietatum seu agendi virtutum, quia principium et fons activitatis in composito humano est anima. Iam vero subiectum est causa prioriorum accidentium non per transmutationem, sed per necessariam resultantiam. Ergo facultates animae fluunt ab eius essentia per necessariam resultantiam. Quare licet anima sola non sit subiectum omnium facultatum; nihilominus omnium est principium, cum ab ea compositum habeat, ut agere valeat (1).

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

**Oppon. 1.<sup>o</sup>** In qualibet re creata principium essendi et principium operandi sunt unum idemque. Atqui essentia est principium essendi in anima. Ergo essentia animae identificatur cum virtute operativa.

**Resp. Dist. mai.** In qualibet re creata principium essendi, et principium operandi remotum sunt unum et idem, *Conc.* Principium

(1) Cf. S. THOM. I. p. q. 77, a. 6, ubi luculenter et profunde exponit quomodo potentiae operativae dimanant ab essentia animae.

essendi, et principium operandi proximum sunt unum et idem, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Cum essentia sit id secundum quod res habet esse, patet principium essendi animae, esse ipsam eius essentiam. Operatio autem licet esse sequatur; tamen in creaturis illud non sequitur immediate, sed mediante virtute operativa; et ideo essentia substantialis, quae est immediatum principium essendi, non est proximum principium operandi, sed remotum. Quare esse principium operationis tripliciter contingit: vel proximum tantum; vel principale tantum; vel proximum et principale simul. Primum denotat imperfectionem, quia est de genere accidentis. Tertium est summae perfectionis, quia ponit in una re perfectionem substantiae et accidentis. Secundum est medium, et competit substantiae creatae, quae media est inter Deum et accidentia.

**Oppon. 2.<sup>o</sup>** Differentiae essentiales non sumuntur ab accidentibus. Atqui differentiae sensibilis et rationalis sumuntur a sensu et intellectu. Ergo sensus et intellectus non sunt accidentia, sed ipsa essentia animae.

**Resp. Dist. mai.** Differentiae essentiales non constituuntur per accidentia, *Conc.* Non cognoscuntur per accidentia, *Neg. Dist. min.* Sumuntur ab intellectu et sensu tamquam ab earum manifestativis, *Conc.* Tamquam ab earum constitutivis, *Subdist.* Et tunc intellectus et sensus sumuntur pro principio proximo intelligendi et sentiendi, *Neg.* Et sumuntur pro principio remoto, nempe pro anima intellectiva et sensitiva, *Conc.*

**Explico.** Accidentia non constituunt differentias substantiales, sed possunt illas nobis manifestare, cum intellectus noster per effectum cognoscat causam. Insuper intellectus et sensus quandoque sumuntur pro ipsa essentia animae, et significant principium radicale et remotum operationis intellectivae et sensitivae.

**Oppon. 3.<sup>o</sup>** Si anima esset realiter distincta a suis potentiis, posset intelligi sine illis. Atqui anima non potest intelligi sine potentiis. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Posset intelligi sine potentiis per simplicem apprehensionem formantem rei quidditatem et definitionem, *Conc.* Per intellectum componentem et dividentem, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Cum abstrahentium non sit mendacium, ut dicitur, si duo sunt distincta, possumus unum intelligere, non intellecto alio, quod proprie dicitur abstrahere per modum simplicitatis seu per primam mentis operationem. Verum si illa duo licet distincta inter se, sunt unita in re, non possumus abstrahere unum ab altero per modum compositionis et divisionis; quia tunc intelligeremus esse separata in re, quae de facto sunt unita, et hoc esset falso intelligere seu

iudicare. Porro facultates animae licet ab essentia realiter distinguantur; nihilominus sunt ipsi inseparabiliter coniunctae, quia sunt accidentia propria et necessario dimanantia a principiis speciei. Sic nequit intelligi, animam non habere potentias, licet anima possit intelligi, non intellectis potentis.

**Oppon. 4.<sup>o</sup>** Si facultates intellectuales et sensitivae essent accidentia, anima dicenda foret intellectiva et sensitiva per accidens. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Esset dicenda intellectiva per accidens praedicamentale, *Conc.* Per accidens praedicabile, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** In difficultate latet aequivocatio quaedam, secundum quod accidens diversimode sumitur. Accidens enim quandoque opponitur substantiae, et tunc vagatur per novem categorias, et dicitur accidens praedicamentale. Hoc sensu intellectus et sensus sunt accidentia, cum non sint substantiae. Sed accidens quandoque sumitur pro habitu dine accidentali et contingenti alicuius praedicati ad subiectum, et tunc dicitur accidens praedicabile; nempe accidens, quod fundat illam intentionem, quae dicitur quintum praedicabile, et opponitur proprio. Hoc sensu intellectus minime est accidens, sed proprium, vel proprietas essentialis.

**Oppon. 5.<sup>o</sup>** Potentiae dicuntur partes animae. Atqui partes rei constituunt ipsam rem. Ergo potentiae constituunt ipsam essentiam animae.

**Resp. Dist. mai.** Dicuntur partes essentielles, *Neg.* Dicuntur partes potestativae seu potentiales, *Conc.* *Contradist. min. et Neg. cons.* Solutio patet, nam si potentiae dicuntur partes, non sunt partes constituentes essentiam animae, cum essentia sit simplex, sed sunt partes potentiales, quia virtus animae distinguitur et cognoscitur per huiusmodi potentias, quae causantur a principiis essentiae.

**Oppon. 6.<sup>o</sup>** Anima est nobilior quam forma accidentalis. Atqui forma accidentalis est sua virtus, cum non agat per aliud. Ergo et anima est sua potentia.

**Resp. Conc. mai. et Dist. min.** Forma accidentalis est virtus instrumentalis animae, *Conc.* Est virtus principalis seu principium primum operationis, *Neg.*

**Explico.** Potentia seu virtus agendi accidentalis agit ut instrumentum animae, non ut causa principalis, ideoque rectius dicitur virtus animae, quam sua virtus. Hinc ex eo quod anima nobilior sit sua potentia, quae est forma accidentalis, iure deducitur, potentiam esse instrumentum animae; non vero animam posse agere sine instrumentum seu potentia accidentali, quod esset agens infiniti.

**Oppon. 7.<sup>o</sup>** Si potentiae fluunt ab essentia animae, principiatum esset perfectius et immaterialius suo principio. Quod sic probatur.

Intellectus non potest esse actus corporis, dum anima ex qua fluit, est forma corporis. Atqui esse omnino separatum a materia est perfectius et immaterialius quam informare materiam. Ergo.

**Resp. Neg. assumptum.** Ad probationem, *Dist. mai.* Intellectus non potest esse actus corporis unice propter perfectionem suae spiritualitatis, *Neg.* Propter perfectionem immaterialitatis coniunctam cum imperfectione accidentis, *Conc. Dist. min.* Perfectius esse separatum a materia, quam esse actum corporis, si separatio a materia procedit unice a perfectione immaterialitatis, *Conc.* Si procedit etiam ab imperfectione accidentis, *Neg.*

**Explico.** Formae substantiales tripartitam habent divisionem. Quaedam enim sunt actus materiae totaliter a materia comprehensae; et istae dicuntur formae materiales, vel simpliciter informantes. Quaedam ex opposito nullo modo possunt esse actus materiae; et dicuntur formae perfecte in seipsis subsistentes. Quaedam demum medium locum occupant, et tum de primis tum de secundis participant; nam licet sint spirituales et subsistentes, nihilominus propter suae immaterialitatis imperfectionem possunt esse actus corporis, elevando corpus ad suum esse; et sic simul cum corpore subsistent in specie completa. Triplex memorata partitio applicari nequit formis accidentalibus; nam forma accidentalis non potest esse actus corporis et simul spiritualis, idest actus non totaliter comprehensus a corpore, cum forma accidentalis habeat esse per subiectum, a quo totaliter dependet in essendo, et ideo si est actus compositi, erit forma materialis dependens in esse a subiecto; si vero est forma spiritualis, non poterit recipi in composito; et consequenter eius separatio a materia procedit a perfectione spiritualitatis coniuncta cum imperfectione formae accidentalis, ideoque non est spiritualior anima ex qua fluit.

**Oppon. 8.<sup>o</sup>** Si potentiae realiter distinguuntur ab anima, debent admitti causatae ab ipsa substantia animae. Atqui essentia animae non potest causare suas potentias. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Debent admitti causatae ab anima per modum emanationis seu necessariae resultantiae, *Conc.* Per modum transmutationis, *Neg.*

**Explico.** Duplex admittitur efficientia; altera, quae est per modum transmutationis, propter quam causa efficiens dicitur: *Primum unde motus*; altera, quae propter quamdam similitudinem cum prima idem nomen accipit; et est per modum emanationis, cum unum ab altero necessario resultat seu profuit. Efficientia per modum transmutationis supponit per se subiectum sub privatione, et procedit a contrario in contrarium. Altera autem per se non supponit subiectum privatum forma, et ideo non transmutat per se subiectum proximum a privatione ad formam, vel a contrario in contrarium. Hic modus efficientiae competit substantiae per ordinem ad suas potentias, quae

sunt accidentia propria resultantia ex principiis essentialibus. Quare, uti merito docet S. Thomas, substantia relate ad huiusmodi accidentia, quae non causantur ab agente exteriori per transmutationem, fungitur munere triplicis causae, idest finalis, materialis, et efficientis; sed huiusmodi efficientia diversa plane est ab illa, per quam agens influxu suo transmutat subiectum a privatione ad formam, quod est proprie et primario efficere.

**Oppon. 9.<sup>o</sup>** Materia prima est essentialiter sua potentia. Sed si materia prima, quae est imperfectissima, potest identificari cum sua potentia, illud idem potest anima, quae longe perfectior est. Ergo anima non differt a suis potentiis.

**Resp. Dist. mai.** Materia prima est potentia mere receptiva actus seu formae substantialis, *Conc.* Est per suam essentiam potentia operativa *Neg. Dist. min.* Anima posset immediate operari, si materia prima esset per suam essentiam potentia operativa, *Conc.* Secus, *Neg.* Difficultati sic brevis occurrit S. Thomas: «Potentia materiae non est ad operari, sed ad esse substantiale; et ideo potentia materiae potest esse in genere substantiae, non autem potentia animae, quae est ad operari» (1).

**Oppon. 10.<sup>o</sup>** Si potentiae distinguerentur ab essentia animae, ab una et simplici essentia prodiret multitudo potentialiarum. Atqui ab uno simplici non potest multiplicitas dimanare. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Prodiret multitudo ab una et simplici essentia absolute considerata, *Neg.* Considerata relative ad varias operationes et obiecta, *Conc. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Multiplicitas quarundam potentialiarum procedit a composito, earum nempe quae sunt compositi, non solius animae; quarundam vero procedit a sola anima non absolute considerata, sed relative ad operationes et obiecta. Sic habetur intellectus et voluntas, prout anima refertur ad verum vel ad bonum: insuper habetur intellectus agens et intellectus possibilis, prout refertur ad intelligibile ut actus ad potentiam, vel ut potentia ad actum.

**Oppon. 11.<sup>o</sup>** Anima est principium, quo vivimus, movemur, et intelligimus. Atqui principium quo vivimus, movemur, et intelligimus identificatur cum potentiis. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Anima est principium primum, quo vivimus, idest exercemus opera vitae, *Conc.* Proximum et immediatum, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Solutio in promptu est ex iis, quae diximus de definitione potentiae et de ipsa definitione animae, quae ab Aristotele dicitur principium quo vivimus, movemur, et intelligimus. Haec definitio sumitur praecise, uti notavimus, ab effectibus et accidentibus,

(1) QQ. DD. De spir. creaturis, a. 11 ad 15.

quae sunt notiora nobis, licet minus nota quoad naturam. Sic Aristoteles per hanc definitionem declarat et probat aliam animae definitionem, quae est per principia essentialia, secundum quam anima dicitur: *Actus corporis physici organici potentia vitam habentis.*

## ARTICULUS II.

## DE CAUSA DISTINCTIONIS POTENTIALIARUM ANIMAE.

**QUAESTIO DEFINITUR.** Ab anima humana, quae realiter distinguitur a suis virtutibus operativis, variae multiplicesque potentiae promanant, quarum aliae recipiuntur et esse habent in composito seu in organo animato, aliae vero sunt in sola anima tanquam in subiecto. Huiusmodi potentiae specie inter se differunt; non solum quia definitio unius diversa est a definitione alterius; verum etiam quia pertinent ad diversos perfectionis gradus, cum aliae sint immateriales, idest independentes a materia in essendo et in operando, aliae sint materiales, nempe in essendo et in operando intrinsece dependentes a materia. Qua de re sponte sua oritur quaestio, quae a nobis solvi debet; nimirum, quanam sint principia quae potentialiarum differentias causant. Cum autem potentiae differant secundum speciem, liquet, tales differentias repetendas esse ab aliquo, quod relate ad potentias se habeat per modum principii formalis et actuantis.

**Ordo potentiae ad actum et ad obiectum.** Potentia quaelibet essentialiter dicit ordinem ad actum, cum intelligi nequeat nisi per habitudinem ad actum. Porro actus proprius potentiae operativae dicitur operatio seu actio, ideoque potentia, de qua agimus, dicit essentialem ordinem et coactionem ad operationem. Verum enim operatio intelligi nequit absque obiecto. Ergo potentia actuata per operationem, idest potentia operans, dicit necessariam habitudinem ad obiectum. Haec autem habitudo potentiae ad obiectum scemitur bifariam, secundum quod potentia dividitur in activam et passivam. Nam obiectum potentiae passivae ad eam comparatur, sicut principium et causa movens: sic color comparatur ad visum, sicut principium determinans potentiam ad actum visionis; ex adverso obiectum potentiae activae comparatur ad ipsam, sicut finis et terminus: sic obiectum potentiae augmentativae est quantum perfectum, quod est finis et terminus augmenti. Hinc operatio relate ad potentiam fungitur munere causae formalis et intrinsece constituentis potentiam in actu; contra obiectum fungitur munere principii extrinseci, idest causae vel efficientis vel finalis.

**Duplex obiecti consideratio.** Obiectum considerari potest vel materialiter vel formaliter, secundum quod spectatur res aliqua, quae movet sicut causa efficiens aut finalis; vel secundum quod consideratur ratio seu forma, secundum quam proprie res illa constituitur in ratione obiecti moventis potentiam. Porro obiectum dicitur per se ordinem ad potentiam, secundum quod formaliter constituitur in ratione obiecti; minime vero si spectatur materialiter. Sic animal coloratum dicitur ordinem ad potentiam visivam non quatenus est animal, sed quatenus est coloratum. Differentiae ergo obiectorum sumendae sunt ab eo, quod per se constituit aliquid in ratione obiecti; non autem ex eo, quod per accidens se habet ad propriam et essentialem rationem obiecti. Immo si diversae rationes obiectorum, per quas obiecta comparantur ad differentes potentias, conveniunt in aliqua ratione communi, tunc possunt illa obiecta formaliter diversa per rationem illam communem comparari ad unam aliquam potentiam superiorem; quia potentia superior respicit obiectum sub universali ratione formali; sicut obiectum sensus communis est sensibile, quod comprehendit sub se visibile et audibile. Hisce adnotatis, propositam quaestionem solvimus sequenti propositione.

## PROPOSITIO.

*Facultates animae distinguuntur et specificantur per actus et obiecta; ita tamen ut obiectum sumatur formaliter, non materialiter (1).*

**Prob. 1.<sup>a</sup> pars.** Potentia, tota quanta est, ordinatur ad actum, per quem intelligitur et definitur. Atqui omnia, quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum ad quae dicuntur (2). Ergo potentiae distinguuntur et specificantur secundum distinctionem et specificationem operationum. Iam vero actus et operationes specificantur per obiecta. Ergo distinctio et specificatio potentiarum repetenda est ab actibus et obiectis.

**Arg. evol.** Ad meliorem intelligentiam propositi argumenti, quod vix indiget declaratione, pauca notanda sunt. Obiectum enim ex quo specificatio potentiae operativae procedit, comparatur ad potentiam vel ut causa efficiens, vel ut finis. Porro in utroque casu viget in obiecto ratio istius specificationis, quia res et specificari potest a proprio fine, et a causa efficiente et movente, cum omne agens, ut cum Aquinate loquamur, ad hoc agit ut similitudinem suam in aliud inducat. Hoc argumentum versatur a S. Thoma pluribus in locis. Sufficit ad spe-

(1) De hac quaestione cf. S. THOM. 1 p. q. 77, a. 3; QQ. DD. De Anima, a. 13; QQ. DD. De ver. q. 15, a. 2.

(2) Cf. S. THOM. 1-2, q. 54, a. 2.

cimen sequentia eius verba recitare: «Omne cuius esse non est nisi propter finem aliquem, habet modum sibi determinatum ex fine ad quem ordinatur... Omnis autem potentia animae sive activa, sive passiva ordinatur ad actum sicut ad finem; unde potentia habet determinatum modum et speciem, secundum quod potest esse conveniens ad talem actum... Cum autem obiectum comparatur ad actus sicut terminus, terminis autem specificentur actus, oportet quod actus penes obiecta distinguantur: et ideo obiectorum diversitas potentiarum diversitatem inducit» (1). Haec S. Doctoris argumentatio sic paucis concludi potest: Quod totaliter est in ordine ad aliud, ab hoc alio specificatur. Atqui totum esse potentiae ordinatur ad actum, et totum esse actus ordinatur ad obiectum. Ergo.

**Prob. 2.<sup>a</sup> pars.** Obiectum specificat actum et potentiam secundum illam rationem, secundum quam attingitur a potentia operativa. Atqui ratio secundum quam attingitur aliquid obiectum a potentia constituit obiectum formale et per se illius potentiae. Ergo virtus operativa specificatur ex obiecto formaliter et non materialiter sumpto. En verba S. Thomae: «Non quaecumque diversitas obiectorum diversificat potentias animae, sed differentia eius, ad quod per se potentia respicit; sicut sensus per se respicit passibilem qualitatem, quae per se dividitur in colorem, sonum, et huiusmodi; et ideo alia potentia sensitiva est coloris, scilicet visus; et alia soni, scilicet auditus. Sed passibili qualitati aut colorato accidit esse musicum, vel grammaticum, vel magnum et parvum, aut hominem vel lapidem; et ideo penes huiusmodi differentias potentiae animae non distinguuntur» (2).

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

**Oppon. 1.<sup>o</sup>** Contrariorum est eadem potentia, sicut visus est albus et niger. Atqui si eadem potentia dicitur ordinem ad contraria obiecta, potentiae non specificantur per actus et obiecta. Ergo.

**Resp. Dist. mai.** Contrariorum est eadem potentia, si potentia ordinem dicit ad communem rationem contrariorum, *Conc.* Si potentia per se respicit propriam rationem alicuius contrarii, *Neg. Contra-dist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Duo quae inter se contrarietatem habent, possunt considerari vel secundum proprias rationes, per quas alterum contrariorum constituitur et discriminatur ab alio, vel secundum aliquam rationem, quae utrique contrario communis est. Iam vero si unum contrariorum respiceret potentiam aliquam praecise per illam rationem, per quam est alteri contrarium, evidenter eadem potentia non posset dicere or-

(1) QQ. DD. De ver. q. 15, a. 2. Cf. etiam 1 p. q. 77, a. 3.

(2) 1 p. q. 77, a. 3.



dinem *per se* ad aliud oppositum. Quod si ad potentiam dicat ordinem per aliquam rationem formalem, quae communis est utrique contrario, tunc eadem potentia ordinem habebit ad illud unum commune, et ab illa communi ratione speciem mutuabitur. Sic visus non respicit *per se* rationem albi, sed rationem coloris; et hoc ideo quia unum contrariorum est quodammodo ratio alterius, cum album se habeat ad nigrum, sicut perfectum ad imperfectum (1).

**Oppon. 2.<sup>o</sup>** Idem obiectum pertinet ad diversas potentias. Atqui specificativum alicuius potentiae non potest esse obiectum diversarum potentialiarum. Ergo potentiae non accipiunt speciem ab obiecto.

**Resp. Dist. mai.** Idem obiectum pertinet ad diversas potentias secundum diversam formalem rationem, *Conc.* Secundum eandem rationem, *Neg. Contradist. min.* Non potest esse obiectum diversarum potentialiarum secundum diversas rationes, *Neg.* Secundum eandem rationem, *Conc. et Neg. cons.*

**Explico.** Licet aliqua res referatur ad diversas potentias; nihilominus eas non respicit secundum eandem rationem. Sic eadem res refertur ad intellectum et ad voluntatem, secundum quod habet rationem veri, et rationem boni. Nam nihil prohibet, quominus id quod est idem subiecto, sit diversum secundum rationem; et sic per diversas rationes pertinet ad diversas potentias, quas specificat.

**Oppon. 3.<sup>o</sup>** Quaedam diversa obiecta, quae pertinent ad diversas potentias, respiciunt etiam unam potentiam; sicut color et sonus qui pertinent ad visum et auditum, nempe ad duas potentias, pertinent etiam ad unam potentiam, quae dicitur sensus communis. Iam vero si diversa obiecta pertinent simul ad diversas potentias, et ad unam communem, potentiae non distinguuntur per obiecta; quia id quod per se est causa alicuius, in omnibus illud causat. Ergo obiectum non specificat potentias.

**Resp. Dist. mai.** Diversa obiecta, quae respiciunt diversas potentias, respiciunt unam potentiam, quae est eiusdem ordinis cum potentiis differentibus specie, *Neg.* Quae pertinet ad ordinem diversum et superiorem, *Conc. Contradist. min. et Neg. cons.* Siquidem potentia ordinis superioris et perfectioris per se respicit universaliorem rationem obiecti, quam potentia inferior; quia quo potentia est perfectior, eo ad plura se extendit. Hinc plura conveniunt in una ratione obiecti, quam per se respicit superior potentia, quae tamen differunt secundum rationes, quas per se respiciunt potentiae inferiores. Sic omnia conveniunt in communi ratione entis, quam respicit intellectus, qui inter virtutes animae supremum occupat locum.

**Oppon. 4.<sup>o</sup>** Magis differunt inter se duae substantiae, puta homo et lapis, quam duo accidentia, puta color et sonus. Atqui homo et

(1) Cf. S. THOM. I p. q. 77, a. 3 ad 2.

lapis ad eandem potentiam pertinent. Ergo a fortiori sonus et color, et ideo differentia obiectorum non causat differentiam potentialiarum.

**Resp. Dist. mai.** Duae substantiae magis differunt, quam duo accidentia secundum esse, *Conc.* Quantum ad immutationem sensus, *Neg. Dist. min.* Homo et lapis pertinent ad eandem potentiam, per se, *Neg.* Per accidens, *Conc.*

**Explico.** Si duae substantiae et duo accidentia considerantur secundum esse, substantiae differunt per se; accidentia vero discriminantur per accidens, quia possunt esse idem subiecto, cum existere queant in eadem substantia. Contra si duae substantiae et duo accidentia comparantur quantum ad vim immutativam sensus, duae substantiae, puta homo et lapis, in quantum sentiuntur, differunt per accidens; quia ab accidentibus habent ut sint sensibiles. Duo accidentia, puta color et sonus, differunt per se, quia per se sunt sensibilia.

**Oppon. 5.<sup>o</sup>** Facultates organicae sunt in diversis organis. Atqui potentiae, quae sunt in diversis organis, diversificantur propter organa. Ergo distinctio potentialiarum non oritur ab obiecto.

**Resp. Dist. mai.** Potentiae sunt in diversis organis, ita ut organa ordinentur ad potentias, *Conc.* Ita ut potentiae sint propter organa, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

**Explico.** Difficultas confundit ordinem naturae et dignitatis cum ordine cognitionis nostrae, et generationis. Secundum cognitionem nostram et generationem priora sunt organa, quam potentiae; quia per organa, quae sunt sensibilia, cognoscimus potentias, quae non percipiunt sensus, et quia organa praerequiruntur ad potentias. Secundum ordinem dignitatis, et intentionem naturae, potentiae sunt priores et se habent ad organa, ut forma ad materiam, ideoque organa ordinantur ad potentias tanquam ad finem, et sic organa non possunt specificare potentias (1).

**Oppon. 6.<sup>o</sup>** Nihil determinatur ad speciem per id quod est posterius ipso, et extrinsecum. Atqui actus est posterior potentia, et obiectum est aliquid extrinsecum. Ergo potentiae non specificantur per actus et obiecta.

**Resp. Dist. mai.** Nihil specificatur per id, quod est posterius secundum esse et intentionem, *Conc.* Quod est posterius secundum esse, sed prius secundum intentionem, *Neg.* Iterum nihil specificatur per id quod est extrinsecum, et non est principium vel finis, *Conc.* Quod est extrinsecum, sed est principium vel finis, *Neg.*

**Explico.** Solutio difficultatis quoad utramque partem patet. Nam licet actio sit posterior potentia secundum esse; nihilominus est prior secundum intentionem, quia potentia operativa ordinatur ad actum tanquam ad suum proprium finem, ideoque ab eo tanquam a fine

(1) Cf. S. THOM. QQ. DD. De Anima, a. 13 ad 6.

specificatur. Similiter obiectum licet sit quod extrinsecum potentiae, ad eam comparatur vel ut principium et causa movens, vel ut finis. Porro quae sunt intrinseca rei, proportionantur principio et fini, ideoque ab ipsis distinctionem et speciem habent (1).

## QUAESTIO II.

### *De anima sensitiva seu de sentiendi facultatibus.*

**CONTINUATIO RERUM.** Postquam a nobis probatum sit contra Nominales et Cartesianos, potentias animae operativas esse proprietates realiter distinctas ab eius essentia, rectus disserendi ordo postulat, ut aliquid dicamus de singulis potentialium generibus, quae genera ad quinque revocantur a S. Thoma (2). Verum enim exordia ducemus a potentis sensitivis, tum quia de vegetativis satis egimus in superiori tractatu, tum quia potentiae intellectrices, quae principatum tenent in anima, quaeque sunt praecipuum subiectum huius disciplinae, explicari minime possunt, quin antea cognitae fuerint virtutes animae sentientis; nam in statu unionis animae cum corpore intellectus noster cognitionem suam accipit a sensu, idest nihil cognoscit propria cognitione, quin materia ad cognoscendum ei exhibeatur a perceptione sensitiva.

## ARTICULUS I.

### NOTIONES DE ANIMA SENSITIVA TRADUNTUR.

**VIRTUS SENTIENDI ADUMBRATUR.** Quemadmodum post Aristotelem S. Thomas notavit, vivencia per operationes vegetativae partis ad hoc ordinantur a natura, ut sint id quod sunt, ideoque earum operationes versantur circa obiectum, quod est coniunctum ipsi viventi. Contra per potentias animae sensitivae quodammodo fiunt alia, cum in se recipiant formas et similitudines ceterarum rerum. Hinc in vivente sensitivo reperiuntur facultates apprehensivae obiecti, quod existit ab ipso vivente separatim; et sic sentiens fit quodammodo omnia sensibilia, prout recipit in se species rerum sensibilibus non secundum esse naturale, sed secundum esse intentionale (3). Facultates ergo sentiendi dicuntur passivae, non quia actione careant, sed

(1) Cf. S. THOM. I p. q. 77, a. 3 ad 1.

(2) Cf. S. THOM. I p. q. 78, a. 1.

(3) Cf. S. THOM. *De Anima*, lib. II, lect. 5.

quia ut operentur determinari debeant per species ab externis obiectis receptas secundum esse quadantenus immateriale, cum immutatio mere materialis minime sufficiat ad hoc ut cognitio sensitiva oriatur. Non enim manus sentit calorem, quia evadit calida; sed quia per animam sensitivam talis virtus in eam promanat, ut formam speciemque caloris recipere possit modo quodam excellentiori, ac invenitur in obiecto immutante. Sic passum fit simile agenti secundum formam, non vero secundum esse formae, idest passum assimilatur agenti intentionaliter, non physice.

**Quid sensus?** Sicut facultas intelligendi dicitur intellectus, ita virtus sentiendi dicitur sensus; et sicut actus intelligendi dicitur intellectio, ita actus sentiendi dicitur sensitio. Sed quoniam facultas sensitiva est organica, ideoque sensus quandoque sumitur pro ipso organo, quandoque pro facultate, quae residet in organo animato. Hinc sensus, prout denotat facultatem, definitur: *Facultas per quam anima coniuncta corpori res materiales, prout sunt materiales, percipit.* Aristoteles ait: «Sensus est id quod est susceptivum formarum sine materia, ut cera sine ferro et auro accipit signum» (1). Sicut enim cera recipit figuram sigilli auri vel ferrei sine materia auri vel ferri, et ideo aliter figura est in cera, aliter in sigillo: sic proportione quadam sensus recipit species sensibilibus; sed species aliter sunt in sensibilibus, aliter sunt in sensu; nam in sensibilibus sunt modo mere materiali, in sensibus sunt modo quodam vitali et intentionali.

Sed si sensus sumitur pro organo sentiendi, quod a Philosopho vocatur *sensorium primum*, tunc definitur: *Pars illa corporis, cui inest potentia susceptiva specierum sensibilibus.* Doctrina Aristotelis sic explanatur a S. Thoma: «Quia (Philosophus) dixerat quod sensus est susceptivus specierum sine materia, quod etiam intellectui convenit, posset aliquis credere, quod sensus non sit potentia in corpore, sicut nec intellectus. Et ideo ad hoc excludendum, assignat ei organum; et dicit quod primum sensitivum, idest primum organum sensus est, in quo est potentia huiusmodi, quae scilicet est susceptiva specierum sine materia. Organum enim sensus, ut puta oculus, cum potentia sensitiva est idem subiecto, sed esse aliud est, quia ratione differt potentia a corpore. Potentia enim est quasi forma organi, et ideo subdit quod magnitudo, idest organum corporeum est, quod sensum patitur, idest quod est susceptivum sensus, sicut materia formae» (2). Eundem Philosophi locum sic declarat Silvester Maurus: «Organum sensus subiecto quidem est idem cum potentia sensitiva, sed differt a potentia sensitiva ratione et secundum esse: e. g. potentia viva est idem subiecto cum oculo, qui est organum videndi; sed differunt ra-

(1) *De Anima*, lib. II, cap. XVI.

(2) *De Anima*, lib. II, lect. 24.